

admonitionibus, id est per admonitiones vel doctrinas suas, ac si diceret: sollicitudo aliorum reddit illum sollicitum.

## Cap. III

## DE ADHIBENDIS AD CONSILIUM FRATRIBUS.

Consilium dicitur a consulendo, quia per consilium inquiritur et cognoscitur nullum, quod cavendum est, et bonum, quod agendum est. Verumtamen et hoc sciendum est, quia cum bonum per consilium repperitur, non est permanendum in ipso bono, sed traueundum est ad melius, deinde ad optimum, si fieri potest. Consulo enim duos sensus habet; si conjungitur cum Dativo; *consulo tibi*, intelligitur: prospicio tibi et pvideo tibi, h. e. tuae utilitati et tuo profectui; si autem conjungitur cum Accusativo, intelligitur interrogatio. Unde dicitur: *Consuluit David Dominum*; i. e. interrogavit Dominum. In apto enim et congruo loco nunc B. Benedictus dicit *de adhibendis ad consilium fratribus*, quia superior informaverat abbatem in his rebus, quae in se vel ad se attinent, i. e. qualiter debeat praeesse suis discipulis doctrina et opere; nunc autem docet illum, qualiter debeat esse in his rebus, quae extra illum sunt, i. e. qualiter debeat disponere ea, quae disponenda sunt. Nam quare hoc capitulum dixerit, manifestat illa sententia inferior, qua, dicitur: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis*. Sicut enim illud capitulum: *Qualis debeat esse abbas*, creavit illa sententia, qua dicitur: *Christi enim vicem agere creditu in monasterio, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater*, ita istud capitulum generavit haec sententia, qua, dicitur: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis*. Haec autem sententia: *Omnia fac cum consilio*, dividitur in duobus modis, i. e. in praecipuis, cum dicit: *quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse, unde agitur*; et in minoribus, cum dicit: *si qua vero minore agenda sunt in monasterii utilitatibus seniorum utatur consilio*. Et cum hoc fit, nihil excludit abbati, ut aliquid